

The Ninth and Tenth Labors of Hercules

Octāvō labōre cōfectō, Eurystheus Herculem Hippolytae zōnam ā filiā suā petītam capere jussit. Hippolyta quae erat rēgīna Amāzonum, fēminārum bellicōsārum, zōnam trādere voluit: itaque Herculēs vēla dare parābat. Cēterae Amāzonēs autem ā Jūnōne commōtae impetum in Herculis nāvēs fēcērunt. Herculēs, cum hīs fēminīs pūgnāre coāctus, facile vīcit et, zōnā captā, ad urbem Mycēnās rediit.

Hōc labōre cōfectō, Herculēs bovēs Gēryonis capere jussus est. Gēryon erat gigās triplicī corpore, quī in longinquā Hispāniā habitābat. Quod iter erat tam longum, Herculēs, ut fāma est, deō Apolline adjuvante, in crātērā aureā vēlum dedit. Pelle leōnis prō vēlō intentā, brevī tempore in Hispāniam pervēnit.

Herculēs, postquam montem ascēdit, bovēs ā pāstōre magnō corpore et ā cane bicipitī custōdītōs cōspexit. Hic canis, ferōciter lātrāns, in Herculem impetum fēcit, sed Herculēs, quī magnā cum fortitūdine pūgnābat, et canem et

pāstōrem clāvā mox occīdit. Jam ā Gēryone ad pūgnam
prōvocātus est et, arcum intendēns, ūnam sōlam sagittam per
triplica corpora gigantis mīsit. Gēryone occīsō, prīmō crātēram
auream Apollinī reddidit, deinde bovēs per Eurōpam ad
Graeciam dūcere coepit. Tandem, post aliās rēs gestās,
Herculēs magnō itinere dēfessus in urbem Mycēnās pervēnit.